

D. D.

161.

DISSERTATIO ACADEMICA

SISTENS

# ITER IN CHINAM,

---

*Conf. Exper. Fac. Med. Ups.*

Moderante

*Viro Generosissimo*

D: NO. CAR. v. LINNÉ,

*Archiatro Regio & Equiti Aur. de Stella Polari  
Acad. Reg. Paris. Soc.*

Publico Examini Submissa

Ab

ANDREA SPARRMAN

*Uplando.*

In Auditorio Carol. Maj. d. xxx. Nov.

Anni MDCCCLXVIII.

H. A. M. S.

---

UPSALIÆ,

Apud JOH. EDMAN, Reg. Acad. Typogr.

MONSIEUR  
LE CAPITAIN  
DE VAISSEAU ROYALE  
**CHARLES GUST.  
EKEBERG.**

**L**e plaisir que vous avez pris d' enrichir l' histoire naturelle & d'autres sciences de decouvertes belles & curieuses, donne moi de l' espoire, que vous scaures bon gré a liberté que je prens de vous offrir cette petite ouvrage, qui represente aux yeux du public les choses curieuses, que j' ai vuës pendant mon voyage a China, que je fis sous vos auspices. Je ne puis m' empêcher, Monsieur, de temoigner a tout le monde les vives sentiments de reconnoissance, dont mon cœur est touché en souvenir des grandes marques de faveur, dont vous m' avez comblé pendant tout le temps que j' eus le bonheur de vous suivre par cette vaste espace de notre Globe. J' aurois beaucoup de tort, si je serrois assez temeraire de pretendre faire une digne éloge de vos grandes merites: aussi ce seroit une chose fort superflue: l' estime que vous vous etes acquise de tout le monde savant, & le credit que notre nation a chez les peuples d' Orient par votre belle & sage conduite, en sont de temoins incontestables. Puissiez vous Mons: profiter long temps de cette grande avantage, être le lustre & l' appui de votre patrie, le soulagement de votre famille, les delices de vos amis, enfin puisse la fortune repondre a votre merite, et alors vous n' aures jamais sujet de vous en plaindre. Je suis avec profond respect

MONSIEUR

Votre très humble & très obéissant serviteur  
ANDRÉ SPARRMAN.

*Viris Admodum Reverendis & Præclarissimis*  
**D: NO M<sub>AG</sub>. ERICO  
TEGMAN.**

*GEVALIÆ & adjacentis Ecclesiæ Valboënsis PASTORI  
& PRÆPOSITO Meritissimo & Inspector Gym-  
nasi vigilantissimo,  
Promotori Indulgentissimo.*

**D: NO M<sub>AG</sub>. LAURENT.  
HONTHER.**

*PASTORI ECCLES. Spongæ & Jersfällæ Meritissimo  
nec non PRÆPOS.-Contractus Sollentunæ adcuratiss.  
Promotori Propensissimo.*

*Plurimum Reverendo & Clarissimo*  
**D: NO M<sub>AG</sub>. MART. AND.  
FORSSVALL.**

*Animarum quæ in Tenstad Deo colliguntur PASTO-  
RI Dignissimo*

*Fautori & Consangvineo Dilectissimo.*

**P**lurima & eximia dum mentem subeunt, quibus me ornastis, favoris  
Specimina, me vobis debere video, quorum vel tautillam partem  
nulla sit spes referendi. Opportune obortain occasionem, summam qua  
flagrant penetralia, testandi pietatem, latus arripui. Velit summum  
Numen Vos in Annos bene multos servare omnigena felicitate orna-  
tissimos, quod calidissimis ab Eo efflagitare suspiriis, sanctum mihi  
semper erit officium. Ad cineres usque permansurus

*NOMINUM VESTRUM*

cultor humillimus  
ANDREAS SPARRMAN.



D. D.



**A** primo usque tempore, quo tenera mens incepit ad res in stupendo naturæ opificio obvias attendere, incredibili flagravit studio, pulcherrimos, quos in Vegetabilium atque Animalium regno depositum natura, scrutari **Thesauros**. Quæ sane scientia vix dubito quin aliis plerisque præripiat palmam, seu eximius quem in tota humani generis œconomia præstat, spectetur usus, seu summa, qua suos cultores, in primis quibus in adyta ejus licet penetrare, perfundit voluptas. Felix mihi est oborta occasio voti fieri compotem, dum Nobilissimus Vir **CAROL. GUST. EKEBERG**, in Classe Reg. Navarcha, iter ad Chinam facturus, me sibi comitem singulari favore voluit adjungere. Latus sane hanc accepi ansam, summi Numinis potentiae ac sapientiae legendi vestigia, per viam quæ dimidiam, & quod super est, orbis terrauei ambit partem, alieni soli intuendi producta & peregrinas lustrandi gentes: quæ coram viden-

videndi nulla unquam fuisse spes, imprimis consortio utens viri, qui absque dubio omnium Nautarum maxime est sciendi cupidus, quique ipsem præpria manu plurima rariora Animalia Piscesque delineavit \*). Multum quoque ad hoc contulit favor Patrum Academicorum, qui me Universalem hanc orbis Academiam visurum, perbenigne sublevarunt. Ante anni spatium sospes relietas salutans musas, & Specimen Academicum in lucem editurus, ut plerumque fieri solet, navita deventis narrans, svavissimum mihi est præteritos repetere labores & quæ in itinere vidi notatu digna, breviter commemorare. Oleum operamque me non existimo perdidisse, si vel unicam Plantam aut Insectum detexero antea ignotum. Scientiæ enim cumuli formicarum instar accrescunt, qualibet formica paleam afferente. Itineris in Chinam expondere diffusam narrationem haud opere pretium duxi, cum in his mihi otium fecerunt perplurimi, quos & opportunior occasio & felicior Minerva huic spartæ reddidere aptiores. Sed paucis saltet narrabo, quæ in quolibet loco inveni naturæ producta, &, si nova quædam fuere, compendiosa descriptione adumbrabo, ut Doctores inde eliciant, quæ ad artis perfectionem conferre intellexerint.

A 3

Die

---

\*) Primus erat qui reste detexit TERMES fatale (S. N. p. 1015.) SCOLOPENDRAM *phosphoream* (ib. p. 1064.) omnium quoque primus fruticem THEÆ vivum in Europam transtulit (S. N. n:o 2. p. 365.)

**D**ie Dec. XXVIII. Anni MDCCLXV. GOTHOBURGUM reliquimus Laris in multum mare comitantibus. *Insulas FERREAS* pluresque regiones præterveisti portui GADES

Febr. XV. Anni MDCCLXVI. appulimus, ubi ad oppid. PORT. ST. MARIÆ hortos Hesperidum, Citris & Aurantiis cultis virentes vidi.

Mart. XX. solvimus e Gade & vela ventis dedimus.

Mars XXV. Salvagos atque altissimum montem *Pico TENERIFFA* conspeximus.

April. XV. ÆQUINOCTIALEM transivimus.

Maji III. PELICANI *Aquili* quidam quasi sub nubibus hærebant.

Maji VI. PHÆTON *aethereus*, Avis tropica alba loris tamquam duobus cursu per æthera sublimis ferebatur.

Maji. XVII. PROCELLARIE *capenses* (*Columba capensis*) in conspectum veniebant, ab his ad Javam fere deducti.

Maji XXXI. brevia CAPENSIA bolide explorabamus, ibique plures PROCELLARIAS *pelagicas* vivas cepimus, nec non SQUALOS, quibus se affixere ECHINEIDES, circum quos GASTEROSTEI *Ductores* natabant: Aves Jean von gents, quæ inter indicia præcipua brevium capensium numerantur, heic etiam, præter cæteras aves minus notatu dignas, observavimus.

Junii. XVI. FUCUS <i>natans</i>	fluctibus agebatur.
Julii X. PHÆTHON <i>aethereus</i>	iterum volantare visus est.
Julii XIV. Insula JAVÆ	se nobis præbuit,
per tres menses terræ conspectu	privatis.
Julii XVI. Anchoram ad Insulam Neuv BAIJ de	mismus, ubi naturalia varia a me collecta sunt, utpote:
Amomum <i>Curcuma ro-</i>	<i>Sphex tropica</i> **
<i>tunda</i>	<i>Papilio Ascanius</i> ***.
Solanum <i>indicum.</i>	<i>Phalæna Trax</i>
Panicum <i>divaricatum</i>	- - - <i>Petulca</i> ****
<i>glaucum</i>	- - - <i>Militaris</i>
Sophora <i>tomentosa</i>	- - - <i>Fullonica</i> , hæc
Rosa - - -	ad genus Sphingis re-
Dolichos <i>trilobus</i>	ferri debet & inseri
Elephantopus <i>scaber</i>	ante <i>Alecto</i> ; superiores
Musa <i>paradisiaca</i>	enim alæ sunt angu-
Acrostichum <i>furcatum</i>	stæ & postice falcatæ.
Gobius <i>pectinirostris</i> *	<i>Iris</i>

\* GOBIUS *pectinirostris*: Pinna *Dorsi* prior radiis V, extra membranam setaceis; posterior XXVI. *Caudæ* XVI. Ani XXV. *Ventrales* radiis XII multifidis. *Pectorales* XVIII. Dentes maxillæ inferioris horizontali patentes, exceptis primoribus duobus longioribus erectis; Dentes maxillæ superioris plurimi, recti, sed VI primores longiores: intermediis magis distantibus. Piscis hic, qui nullis instructus est squamis, in littore brevibus celeriter se exilit saltibus.

\*\* SPHEX *tropica*. Oculi non albi, sed nigri; *Abdominis* segmentum secundum basi nigrum. Alæ compli- catæ *Vespæ*. Maxillæ validæ, tridentatae.

\*\*\* PAPILIO *Ascanius* (*Eques*) caudatus ater, a-

<i>Isis Hippuris</i>	<i>Madreporam muricata</i>
<i>Nautilus Pompilius</i>	<i>sed rami cancel-</i>
<i>Trochus niloticus</i>	<i>latim anostomosantes</i>
<i>Chama Hippopus</i>	<i>&amp; decumbentes.</i>
<i>Ostrea nodosa</i>	<i>Turbo striatulus</i>
<i>ob [L] pallium</i>	<i>Arca antiquata</i>
<i>Patella Nubecula</i>	<i>Venus mercenaria</i>
<i>Nerita Histrio</i>	<i>Strombus millepida</i>
<i>Voluta turbinellus</i> , sed nostra caret columella	<i>Murex turbinellus</i>
plicata.	- - - <i>tribulus</i>
<i>Ostrea fornicata</i>	- - - <i>ramosus</i>
valvata &c.	- - - <i>Erinaceus</i>
<i>Madrepore Fungites</i>	<i>Conus striatus</i>
- - - <i>Cancellata</i> refert	<i>Bulla Ovum.</i>

Jul.

*lis superioribus albido lineatis; inferioribus subtus maculis VIII coccineis.*

*Magnitudo mediocris. Caput sangvineum. Thorax lateribus subtus sanguineis. Abdomen atrum, subtus sanguineum & nigro variegatum. Alæ primores atræ, concolores, secundum venas albido lineatæ & quidem subtus magis, quam supra. Alæ posticæ atræ, repandæ, obtusæ, subcaudatæ, maculis marginalibus subrotundis VIII lâte coccineis. Pedes nigri.*

\*\*\*\*PHALÆNA *Petulca spiralingvis lævis*, alis fuscis: *superioribus fascia, inferioribus disco albis.*

*Statuta Phal. Jacobæ. Caput flavum: fronte, vertice, & oculis nigris. Thorax operculis duobus, lanceolatis, margine flavis. Alæ superiores concolores, fuscæ: Fascia in medio alba, postice repanda; ad basin alæ striæ aliquot albæ limbo fusco. Alæ inferiores fu-*

Jul. XXII. dum insulam, quæ PRINTS EYLAND appellatur, præterivimus, Javani ad nos adduxerunt Simias, Psittacos, Gallinas & Viverram jchnevmonem.

Jul. XXX. Fumus ex fodiis stanneis ad MONAPIM conspiciebatur.

Augusti X. insulam PULOCANDOR præterveisti.

Aug. XXIV. ad MACAO devenimus, ubi introitus est ad urbem Canton.

Aug. XXVI. Anchoram in CHINA haud procul ab urbe Canton jecimus. Sequentia heic mihi obvia fuere naturalia.

ORYZA sativa, & ARUNDO saccharifera mixtæ, fluxui & refluxui aquarum expositæ, degebant. Plantæ antem sequentes in aridis locis collectæ.

Thea Bobea	Sinapis Brassicata,
Ixora coccinea	Polygonum chinense,
Rhamnus lineatus,	Torenia asiatica,
Becchæa frutescens	Aralia chinensis, sed tota
Triumphetta Barthramia,	glabra,
Urena procumbens	Verbesina calendulacea,
Hedyotys fruticosa	Hedysarumbiarticulatum
Barleria cristata,	

Fructus etiam sequentes

Bromelia Ananas	Citrus decumanus
Curcurbita Citrullus	. . . Aurantium
Tamarindus indica	

B

LEMUR

---

scæ disco amplo, albo, ad marginem interiorem excurrente.

LEMUR *Mongos*. *Corpus* totum griseum. *Facies* nigra: Mare gula ferruginea; Femina gula & ano albis.

TRICHIURUS *Lepturus*, CYPRINUS *auratus*, CLUPEA *chinensis*, PHASIANUS *Gallus tam lanatus* quam - - - *pusillus*.

Papilio <i>Hecabe</i>	- - - Lemonias
- - - <i>Paris</i>	- - - Midamus
- - - <i>Leucothoë</i>	Phalæna <i>Atlas</i>
- - - <i>Pammon</i>	<i>nigrella</i> **
- - - <i>Demoleus</i>	<i>Altica</i> ***
- - - <i>Argyrius</i> *	<i>Blatta orientalis</i>
- - - <i>Pyrene</i>	<i>Fulgora Candelaria</i>
- - - <i>Almana</i>	<i>Spinx Porcellus</i> captus est
- - - <i>Orithya</i>	Pha-

---

\* PAPILIO *Argyrius* (*nymphalis*) alis dentatis fulvis, nigro maculatis, subtus ocellis quinque liturisque argenteis. *Facies* Pap. Niphæ. *Alæ* Primores concolores, luteæ: punctis nigris plurimis, præter lineolas transversas nigras ad marginem exteriorem. *Alæ* posticæ suprà primoribus fere similes; subtus vero magis pallidæ, variegatæ maculis griseis præter ocellos V, cum lituris variis argenteis.

\*\* PHALÆNA *Nigrella* (*Tinea*) alis atris, strigis albis: anteriori simplici; posteriori circumflexa (locanda post. 335.)

*Corpus* magnitudine Phal. Evonymellæ, atrum. *Antennæ* fetaceæ, nigræ. *Abdomen* cingulis linearibus, augustissimis, VII, albis. *Alæ* concolores: superiores deflexæ, atræ: strigis duabus, angustissimis, albis, ante-

*Phalæna bicincta* \*\*\*\*.      in ipsa navi dum in  
*macrops* \*\*\*\*\*.      China commorabar; u-

B 2

trum

riore versus basin transversa, quæ vix tangit marginem inferiorem. Posteriore paulo latiore, a margine interiore ad inferiorem circumflexa, cum puncto albido ad flexuram anteriorem. *Alæ inferiores* nigræ: striga alba in medio. *Collare & Frons* alba. *Pedes* spinosissimi, subtus albidi.

\*\*\* *PHALÆNA Altica* (Noctua) spirilingvis lævis flava, alis superioribus maculis duabus cœruleis margine cœruleo connexis.

*Corpus* magnitudine & statura Phal. Jacobæ, flavidum. *Oculi* nigri. *Antennæ* setaceæ, fuscæ. *Tibiæ & Plantæ* nigro-cœrulecentes. *Alæ superiores* margine longitudinali cœruleo; macula magna cœrulea in medio alæ, margini cœruleo annexa; macula altera cœrulea, versus apicem, lunata, margine interiori itidem annexa; Hinc area prima alæ flava; altera area flava, pone medium; tertia macula flava in apice. *Thorax* humeris cœruleus.

\*\*\*\* *PHALÆNA bicincta* (Noctua) spirilingvis sublævis, alis griseis nebulosis: inferioribus supra fasciis duabus albis;

*Magnitudo* Phalænae Paetæ. *Corpus* griseo-aeneum, *Alæ* deflexæ: *superiores* supra antice & postice griseæ, plaga intermedia cinerea, quæ antice & postice distincta linea nigra undulata; *subtus* cinereæ, fascia transversa, alba. *Alæ inferiores* supra fuscæ: fascia in medio alba & margine postico albo; *subtus* cinereæ: angulo ani nigro, sed terminato macula alba.

\*\*\*\*\* *PHALÆNA macrops* (Attacus) seticornis spirilingvis, alis fuscis atro undulatis: *superioribus* supra ocello ferrugineo; *subtus* albo maculatis.

erum vero Chinensis fuit aut ex Europa cum nave allata, non facile dixero.

		*	*	*
Anno MDCCCLXVII Jan.	XXI.	CHINAM	reliqui-	
mus. Sturna <i>stolida</i> ad Javam usque nos est comitata.				
Febr. IX ad Insulam NORD EYLAND an-				
chora tenebamur, ubi sequentia occurrabant.				
Lobelia <i>Plumieri</i> .		Paspalum	<i>dissectum</i> .	
Clerodendr. <i>fortunatum</i>		Apluda	<i>mutica</i> .	
Convolvulus <i>Pes capra</i> ,		Urena	<i>lobata</i> .	
in littore.		Vitex	<i>trifoliata</i> ,	
Papilio <i>Java</i> *		Oniscus	<i>Asilus</i> ***	
- - - Canidia **		Scarabaeus	<i>orichalcus</i> ****	
Cimex <i>Stockerus</i>				Sphinx

---

*Corpus secundæ magnitudinis, fuscum. Antennæ se-*  
*taceæ. Palpi erecti, compressi, apice filiformes. Alæ*  
*omnes dentatæ, supra fuscæ, atro undulatæ: superiores*  
*ocello, in medio, magno, ferrugineo, iride nigro pu-*  
*pillaque lunari atro-cærulea Subtus fuscæ maculis*  
*aliquot albis in medio. Inferiores magis fuscæ, maculis*  
*nigris sagittatis; subtus punctis subsagittatis albis adspersæ.* Similis Phalænæ *crepusculari*. Clerk. tab. 53 fig. III.  
*IV. sed magis fusca.*

\* PAPILIO *Java* (Dan. cand.) alis albis postice nigris, subtus basi fulvo maculatis postice albido punctatis.

*Corpus statura Pap. Brassicæ: Alæ omnes supra di-*  
*midio antico albæ, postico nigræ: Primores versus a-*  
*picem lituris tribus albis. Subtus nigræ: Primores basi*  
*fulvæ, apice lituris tribus albis. Posticæ subtus basi ma-*  
*culis VI vel VII fulvis, convergentibus, margine po-*

<i>Sphinx Polymita</i>	*	<i>Trochus perspectivus</i>
<i>Cancer minutus</i>		<i>Gorgonia Abies</i>
<i>Buccinum rufum</i>		• - <i>anceps</i>
<i>Trochus Perdix</i>		• - <i>ventalina</i>
<i>Tubipora musica</i>		

B 3

Febr.

stico punctis VI. majusculis albo-fulvis seu omnibus  
alis interruptæ albis.

\*\* PAPILIO *Canidia* (danaus cand.) alis integerri-  
mis rotundatis albis: primoribus maculis duabus nigris;  
posticis subtus basi flavis.

Statura & magnitudo Papilionis Rapæ. ALÆ *primo-*  
*res* concolores, albæ maculis duabus nigris, sed supra  
apice nigræ. *Alæ posticæ* supra albæ maculis marginali-  
bus VI, nigris, quarum anterior reliquis multo major;  
subtus pallide cinerascentes, margine antico flavissimo.

\*\*\* ONISCUS *Asilus* hujus segmenta habent u-  
trinque ad latus duas spinas; alteram juxta basin exi-  
sam, alteram juxta apicem lateris protrusam.

\*\*\*\* SCARABÆUS *orichalcus* scutellatus muticus  
æneus glaber, subtus ferrugineo varius.

*Corpus* magnitudine & statura Sc. Eremitæ, sed ster-  
no parum porrecto, *Caput* quadratum marginibus la-  
teralibus elevatis, sed angulis anticis mucronatis. *Tho-*  
*rax* lævis, postice trilobus: lobo medio productiore,  
supraque impresso, (scutellati reliqui non sunt Thorace  
postice productiore). *Scutellum* minutum. *Elytra* lævia. *Sub-*  
*tus* niger abdominis lateribus ferrugineis. *Femora* ferru-  
ginea, apice nigra, *Color* totius supra viridi-æneus nitens.

\* SPHINX *Polymita* (Ascita) abdomen luteo fa-  
sciis sex. nigris, alis superioribus maculis fenestratis quin-  
que, inferioribus duabus

Magnitudo Tipulæ majoris. *Corpus* luteum, macu-

Febr. XV. Navem solvimus, & à Nord Ey-  
land discessimus,

April. XXII. CAPUT BONÆ SPEI in con-  
spectum venit, videbam heic quidem natantem UL-  
VAM *bucciniformem* (Trompetgrås), eandem au-  
tem cupidus licet colligere, siquidem adhuc non  
rite fuit determinata, vetuit navis cursus.

April. XXIV conspectui sese offerebat Colum-  
na aquatica magnitudinis insolitæ & multo major a-  
lia, quam in agro Oryzæ chinensi prius observa-  
vi, quæque exploso tormento evanuit.

Maij. XI. Anchora jactata est ad insulam St.  
HELENÆ, ubi PORTULACÆ oleraceæ ingens  
copia sponte crescebat.

Maj. XVII. capti sunt SCOMBER *Pelamis*  
(Bonet), SCOMBER *Thynnus* (Albacora), CORY-  
PHÆNA *Hippurus* (Dolphin); Hi omnes agitabant  
**Exocœtos volitantes**, ut in navem decidui fuerint  
capti. DELPHINI *Delphides*, SEPIÆ *Loligines* &  
LABRI *aristasti*. \*

Maj.

---

lis & fasciis nigris. *Alæ superiores* nigræ, maculis hya-  
linis: primo una, deinde binæ & demum binæ; *Alæ inferiores* minutæ, nigræ macula fenestrata gemina.

\* LABRUS *aristatus* (Dubii generis piscis)

*Pinna* Ani radiis XXV: primo brevissimo. *Pinna*  
*Dorsi* XXXII. *Pectorales* XII. *Ventrales* VI, *Color* argente-  
us. *Corpus* ovatum, valde compressum, transversim stria-  
tum: *squamis* brevissimis, sed latissimis, latere utro-  
que aristatis. *Opercula* lævia. *Facies Ostracionis*, sed den-  
tes simplices & sparsi: primoribus inferioribus duobus  
longioribus.

Mai. XXV ad insolam ADSCENTIONIS per-  
venimus, ubi in littore numero 79 TESTUDI-  
NES *Midas* cepimus, & PORTULACAM *olera-  
ceam* collegimus. Heic PELICANUS *occidentalis*  
conspiciebatur. BALISTES *Vetula* hamo capta fu-  
it; hæc coloribus formosa, sed esui insvavis.

Maj. XXVI hinc postquam nave in altum  
mare devecti, maximam FUCI *natantis* (Sargazo)  
copiam undis agi vidimus. In hoc SCYLLÆAM pe-  
lagicam & CANCRUM *Neptuni* \*\* cœpi. HOLO-  
THURIA *Physalis* quoque capta, cuius Cirri urti-  
ca vehementius urunt.

Jul. IV. MEDUSA *Velella* nobiscum vela da-  
bat ventis.

Jul. XIX. TESTUDINEM *Midam* in aqua  
dormire vidi.

Julii. XXI. Anchora ad FAYAL, una Insula-  
rum Azoricarum jacta, inde Patriam petimus  
tandemque Augusti XVI attigimus, ubi paucellas  
has observationes in lucem edere iubet; quominus  
au-

\*\* CANCER *Neptuni* (macrourus) thorace antice  
posticeque trispinofo. (post Homarum 74. locandus)

*Corpus* magnitudine Tipulæ. *Testa* figura fructus  
Bursæ pastoris, oblonga; antice carinata & angustata  
spinis tribus porrectis, quarum media longior, supra  
caput extensa; Postice testa emarginata margine deflexo  
armato spinis tribus, quarum laterales rectæ, media ve-  
ro brevior erectior. *Corpus* pone testam lineare, lon-  
gitudine ipsius testæ, terminatum *Cauda* latiore, obo-  
vata, ferrata mucronibus VI. parvis. *Oculi* pedunculati.

autem plures tibi B. L. novas queam offerre species, varia me impediunt. Haud enim facile fuit sub ardente sole longos conficere cursus; nec Chinæ campos excurrendi libertas advenis conceditur; nec in JAVA ferocissima Animalia ut Crocodili, Tigrides &c. ac Frutices spinis aculeisque armatæ, quibus littora sunt confertim obsita, securum commodumque cursum permittunt.

